



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Futura contingentia, & secreta cordium soli Deo nosta esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Matth. 23.  
33.

*stia, non desinis subvertere vias Domini rectas?*  
Multi eiusmodi sunt, qui *ex patre diabolo* vias Domini rectas subvertunt, pleni dolo, pleni fallacia, digni ignominia. Quamquam Deus non omnes dignos ignominia, in ignominiam manifestat peccatores. Quem in finem aliquot exempla apponam, à me preconione recensita, & sitienter excepta.

## CAPVT XV.

*An, & quibus, & quo pœnitentia fructu, Deus hominum quorundam peccata, absque eorum infamia, manifestet, ad clementiam suam manifestandam?*

S. I.

*Futura contingentia, & secreta cordium soli Deo nota esse.*

**N**illum esse hominem arbitror, qui non auidè cuperet scire, quàm diu tandem Germaniam, ac totam p̄ane Europam bellis sit afficturus Deus? quando pacè, pro qua oramus, redditurus? quid circa hunc, aut illum Principem, circa hanc & illam Remp. circa se ipsum sit futurum? Sed hæc omnia pendent à Deo, qui  
solus

solus est scrutator cordium, & cognitor futurorum. *Quis consiliarius eius fuit? Num- Rom. 11-  
quid cognoscentur in te nebris mirabilia tua, & 34.  
iustitia tua, in terra obliuionis?* ait Psalmista. Psal. 87.  
13.  
Ecclesiastes autem: *Et intellexi, quòd om- Eccl. 8.  
nium operum Dei nullam possit homo inuenire 17.  
rationem eorum, qua fiunt sub sole: & quantò  
plus laborauerit ad quarendum, tantò minùs  
inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non po-  
terit reperire.* Hinc falluntur & fallunt to-  
ties Astrologi & fastorum conditores, qui  
iam per aliquot annos, vanissimis vaticina-  
tionibus pacem, mortes Principum, &  
nescio quæ prædixerunt. *Euauerunt in co- Rom. 1. 21  
gitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor  
eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti fa-  
cti sunt; & dum diuini sibi aliquid arrogant  
isti diuinatores, ad artes diabolicas dela-  
buntur. Quàm magnificata sunt opera tua, Psal. 91.  
Domine, ait Rex, Nimis profunda facta sunt 6.  
cogitationes tua. Vir insipiens non cognoscet, &  
stultus non intelliget hac.* De aliorum autem  
arcanis, de quæ conscientis iudicare & pro-  
nuntiare vsq; adeò temerarium est, vt nemo  
etiam de se ipso sit certus. *Nihil mihi conscius 1. Cor. 4.  
sum, sed non in hoc iustificatus sum,* ait Apo- 4.  
stolus. Et Ecclesiastes: *Sunt iusti atque sapi- Eccl. 9. 6.  
entes.*

entes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa aequè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui verum deierat.

## §. II.

*Deum Sanctis suis multa occulta reuelare.*

Ita sanè est, nemo scire potest, quid alter cogitet, aut in pectore clausum gerat. Quanto autem minùs quis scire potest ea, quæ sibi Deus reseruauit, aut in consilio suo statuit? Nihilominus sicut Princeps nonnumquam fido sibi homini secreta animi sui pandit, ita & Deus subinde amicis suis futura occultaque reuelauit. Quàm multis Gen. 6. 13. antè annis Noë diluuium prædixit? Quàm clarè Abrahamo patefecit interitum Sodomitarum? Num celare potero Abraham, qua Gen. 18. gesturus sum? ait. Quàm disertè Elisæus dixit ad Giezi: Vnde venis Giezi? Nonne cor 4. Reg. 5. meum in presenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Quàm seuerè Petrus sacrilegum manifestauit illis verbis: Act. 5. 3. Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

Pro-